

CAP. XXXV.

Bardefanistæ cur sic dicti. Erroris autem eorum capita
duo recensentur.

Bardefanistæ à quodam Bardefane, qui
in doctrina Christi prius perhibetur exti-
tisse insignis, quamuis postea per omnia in
Valentini hæresin lapsus sit, addens de
suo, ut fatis ascriberet conuersationes hominum.

I. Bardefanistæ.) Neque temporis, neque do-
gmatis ratione videtur suo loco recenseri hæc hæ-
resis, sed prorsus alieno. Nam quod ad tempus,
extitit circa annum à Christo passo 144. sub Soste-
ro Pontifice Roman. & M. Antonino & L. Vero
Imperatorib. sed sub Vero fuisse potius annota-
tur, quia ille notior fuit Orientalibus populis, in-
ter quos viguit & receptus est hic error, & ad quos
belloꝝ quæ Romanis cum Parthis erant, admini-
strandorum gratia profectus est, denique inter eos
vixit L. Verus Imperator, quemadmodum tradit
Dion in eius vita. M. Antonin. qui eodem tempore
regnauit, ignotior iisdem populis fuit, quia non vl-
tra Ephesum in eã orbis partẽ progressus est, sed
bella Germanica, & Marcomannica in Septentrio-
ne gessit. Vnde error est apud Theodoretum lib. 1.
Hæretica. fabular. vbi in hæresi Bardefanistarum
Seuerus pro Verus legitur. Fuit autem Bardesa-
nes Syrus è Mesopotamia regione oriundus & E-
dessa vrbe, quæ propter religionem celebris fuit,
quanquam eam alii Comagenæ attribuunt, alii ve-
rò Arabiæ, vti Plinius libro 5. capite 24. Chri-
stianam religionem primùm profitebatur, in qua
sic excelluit, vt aduersus Marcionitas etiam scri-
beret,